



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et  
Mi-||racvlis Clari, Opera**

**Seuse, Heinrich**

**Coloniae, 1615**

De Beggardis & Fratibus. Capvt XIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38029**

iam sit feruens earum vita interna, quam superioribus ætatibus ducere solebant. Iam nimirum ea in cogitatione versantur, vt multas sibi parent opes, vt largos redditus, præclaras ædes, omnigenamq; suppellectilem & familiam ipsi officiosissime ac studiosissime seruientem obtineant, atque etiam vestes habeant grati coloris, & elegantes, lintea quoque ornatu conspicua, & clinodia siue ornamenta, atque in omnium gratiam sese insinuent, placeant omnibus, honore afficiantur, & in aliquo sint pretio ac æstimatione. Porro omnis internus feruor erga Deum, omne interioris vitæ studium, siue in Dei voluntatem resignatio, apud eas in obliuionem abiit. Libenter hac illac circumcursant & fabulantur. Et quamuis sint in eis, quæ aliter sese gerant, tamen paucissimæ sunt. Omnes propemodum ex proprietate quadam: neq; prauis moribus & consuetudinibus suis renunciare volunt. Priscis temporibus tantus in eis, tamq; vehemens, simplex, diuinus feruor inerat, adeoq; pijs & religiosis erant animis, vt singulari quadam Dei familiaritate gauderent, Deusq; magna & occulta in eis efficeret ac operaretur. H. Misereat te Dens clementissime, mortales omnes sui cum resignatione tibi nequaquam obtemperare.

et si non omnium.

Beguine quales priscis temporibus extiterint.

*De Beggardis & Fratribus.*

CAPVT XIV.

DEVS: Deinde cõtemplare eos quos Fratres vocant & Beggardos, vti vltro citroq; per  
Aa 5 placeas



plateas vagentur, & veri interni itineris profus immemores ac rudes sint. Quanquam sunt inter eos qui rectè habeant, sed ij perrari. Certè si diuina gratia ob verborum sermonumq; affluentiam, subtilitatem ac leporem cuiquam præstanda foret, multi ex eis gratia locupletessent. Sed reuerà non in multis, acutis ornatique sermonibus perfectio & vera sanctimonisita est, sed in humili potius, submissoque & moderato ac resignato fundo vel animo, cuius sicut & cæteri, parum habent. H. Vereor Domine, si isthæc seculares perspecta haberent, in offendiculo fore. D. Tantam adhuc in laicis ac secularibus perspicies deformitatem, tantaque vitia, vt non sit necesse alios culpam alios reijcere, cum in singulis quibusque culpa hæreat.

Vera perfectio & sanctitas vbi consistat.

*De Imperatoribus & Regibus.*

CAPVT XV.

**D**EVS: Adspice iam eorum, qui in sublimi dignitate sunt constituti, nempe Imperatorum & Regum, atque coniugum eorum, fastum & superbiam. Olim si quis electus fuisset, magno studio sese opponebat, quod ex animi humilitate principatu indignum se arbitraretur. Electus autem in Rom. Imperatorem, inuitus quidem summa cum modestia, humilitate ac timore Regni gubernacula sumebat: persuadensq; sibi se ea ex causa Christianum feruum esse, corpus, animam, diuitias, facultates & honorem suum Deo offerebat, eiusq; frequenter